

diuina ira lancea se se strinxerat, quae sic miserum confregit, ac terrefecit, vt nihil seruare excogitaret, sed totus sua iniquitate constrictus in paenam rueret. De impio, ac peccatore sub gladio diuinae iustitiae loquens Iob ait cap. 15. n. 21. Sonitus terroris semper in auribus illius: & cum pax sit, ille semper insidias suspicatur; non credit, quod reuerti possit de tenebris ad lucem, circumspiciens undique gladium. Terrote diuinae irae correpti peccatores nil salutare audent.

Iob. 15.

69. Chrystost.

Secundo. Idem D. Chrystostomus homil. 27. in Genes. Magna, & ineffabilis Dei misericordia: cum in se quidem peccatum est, ad nudas tantum preces totum remittit; cum autem in conferuum videt crudelem, & inhumanum, suam reuocat liberalitatem. Quando seruus in Regem delinquit, de eiusque re decem millia talentorum, hoc est centum viginti millia aureorum, consumplerat, non irascitur Dominus in eum, sed seruo datur occasio, vt pro se roget, ac misericordiam obtineat. At cum nimia crudelitas valde superciliose in conferuum se se prodit, & manifestat, suffocabat eum, tunc iratus Dominus puniendum tortoribus tradit: Vt hoc emblemate declaratur, quod Deus proximi offensas magis punit, quam suas, vt etiam ipse Chrystostomus docet in quadam homil. de parabola hac tom. 3. pag. 806. Vt discas, ait, facilius ipsum, quod in se peccetur, quam quod aduersus alios, remittere solere.

Deus proximi offensas magis punit, quam suas.

Chrystost.

70. Origenes.

Tertio. Origenes homil. 7. in Matth. Iratus, ait, tradidit eum tortoribus, & iam non iussit, eum venundari, & uxorem eius, & filios eius, quia peius eum oportebat pati propter malitiam suam, tradidit tortoribus. Cur non mandat Dominus, seruum sicut prius venundari, sed modò indilate totoribus tradit? Cur etiam nunc suam illi, sicut prius, misericordiam non impendit? In primo, & magno decem millium talentorum debito benignè agit cum illo humiliato Dominus; at verò cum in secundum debitum, & crimen post penitentiam prolabitur, iam pietas recedit, & distrieta in hominem se se seueritas explicat. Cum enim reincidentia interuenit, iam mititas abscedit, & dura supplicia succedunt. D. Ambrosius ferm. 18. in Psalm. 118. ad illa Apostoli verba; Christus mortuus est semel Rom. 6. Cane, inquit, ne cum mortuus fueris semel, moriaris iterum: iam non peccato morieris, sed venia.

Reincidentia in peccatis maiorem Dei excitat iram.

Ambros. Roman. 6.

71. 3. Reg. 21.

Cum Achab in morte Naboth grauiter deliquisset, ex Dei madato mortem illi denuntiat Magnus patens Elias: Ecce ego inducam super te malum 3. Reg. 21. num. 21. Tamen cum ipse se penitentem exhiberet, Deus illi veniam promisit. Quia igitur Achab humiliatus est mei causa, non inducam malum in diebus eius, ibidem n. 29. Et tamen, vt constat ex sequent. cap. 22. num. 35. ipse rex Israel cum exercitu suo deuastatus occubuit, & periit. Nunquid Dei verbum est immutatum? minime: Sed ipsa penitentia regis est immutata, in eaque non perseverauit, sed antiqua, & noua repetens in magnam Dei iram incidit; non solum in mortem, sed simul etiam in deuicti ignominiam, sui que exercitus, suorumque omnium deuastationem incurrit. D. Ambrosius lib. de Naboth cap. 17. sic quatit: Oraculum falsumne est, nam Achab & victus est, & occisus? Sed considera, ait, quia Iezabel habuit uxorem, cuius ducebatur arbitrio, que auertit cor eius, & nimis sacrilegis execrabilem fecit; & hunc eius penitentiam reuocauit effectum. Dominus autem non potest

3. Reg. 22.

Relapsus in peccata Dei furorē concitat.

Ambros.

mutabilis estimari, si confessionis inmemori non putabat esse seruandum, quod promiserat confitent.

Ait Amos cap. 1. numer. 3. Haec dicit Dominus super tribus sceleribus Damasci, & super quatuor non conuertam eum. Quid est, super tribus, & super quatuor non conuertam eum? Id est, ac si dicat Deus, inquit Leo à Castro, Cornelius, & alij, Cum semel iterum, & tertio pepercim Damascenis, quarto enormi sceleri, quod ceteris addiderunt, nequaquam parcam, sed puniam. D. Hieronymus sic loquens in Dei persona ait: Expectaui multo tempore, vt Damasceni de suis sceleribus agerent penitentiam, & ideo nolui punire peccantes, vt aliquando conuersi reciperent sanitatem; verum quia tertio, & quarto eadem faciunt, cogar mutare sententiam, & plagis corrigere delinquentes.

72. Amos 1.

Leo à Castro Cornelius.

Hieronym.

QUESTIO X.

Quare cum debitum iam dimissum esset seruo à Domino suo, tamen ipse dicitur tradi tortoribus quoad usque illud redderet?

VPRA dicitur num. 27. quod Misertus Dominus serui illius, dimisit eum, & debitum dimisit illi. Cum autem seruus esset crudelis in conferuum, vt eum suffocaret, tradidit eum Dominus tortoribus, quoad usque redderet vniuersum debitum. Quodnam erat vniuersum debitum illud? An Dominus talenta semel dimisit iterum reperebat? minime: nam licet Theologi cum D. Thoma 3. part. quaest. 89. artic. 5. merito reuiscitiam concedant; tamen quaestione 88. reuiscitiam peccatorum non admittunt. Quodnam igitur erat illud vniuersum debitum?

73. Ratio diffcultatis.

D. Thom.

Rectè responder Isidorus Clarus. Intelligit vniuersum debitum, peccatum illud: quo ingratus tanta Domini beneficentia nec exiguum debitum remittere fratri voluit: quod peccatum tam graue fuit, vt illud prius decem millium talentorum equauerit. Quod etiam docet D. Thomas citata quaestione 88. artic. 3. ad 3. Propter subsequentem ingratiudinem, ait, redit vniuersum debitum, in quantum quantitas peccatorum praecedentium proportionaliter inuenitur in ingratiudine subsequenti, non autem absolute. Et quamuis opus non sit, vt hoc posterius peccatum illi priori, ac antecedenti omnino æquetur, vt docet D. Thomas citato loco; illud tamen saltem efficitur, vt peccatum nouum, aliàs ex obiecto suo non ita graue, ac antecedens peccatum: tamen ex circumstantia ingratiudinis ob ingens beneficium acceptum, grauisimum euadat, maiorique poena reddatur dignum; praecipue cum ipsa ingratiudine ferat secum immiseriordiam proximo veniam petenti, cui valde communiter annexa est maleuolentia, & odium fratris, vt inuit D. Thomas quaest. 88. art. 2. in corpore.

74. Isidor. Clar.

D. Thom.

Et acceptis beneficiis esse sit ingratiudine.

Pro explicanda ingratiudinis malitia audiendus est D. Bernardus ferm. de septem misericordiis. Peremptoria res, inquit, est ingratiudine, hostis gratia, inimica salutis. Dico vobis, quoniam pro meo sapere, nihil ita displicet Deo, praesertim

75. Bernardus.

Praesertim in filiis gratia, in hominibus conuersionis, quemadmodum ingratiudine. Vias enim obstruit gratiae, & ubi fuerit illa, iam gratia accessum non inuenit, locum non habet.

76.

Exod. 33.

Quo maiora beneficia, eo grauiora in benefactorem peccata.

Lyranus.

77. Genes. 49.

Ex iniuria beneficiorum grauior peccati malitia.

Origen.

Post graue illud idololatriae commissum peccatum in adoratione vituli, ait Deus ad Moysen: Vade, descende de loco isto tu, & populus tuus, & mirram praecursorem tui Angelum: non enim ascendam tecum, quia populus durus ceruicis es, ne forte disperdam te in via. Exod. 33. à numer. 1. At quorsum dicitur populus dispergendus, si à Deo; non verò, si ab Angelo ducatur? An ad misericordiam prior esset Angelus, quam ipse Deus? minime quidem: sed si Deus, multis donis elargitis, se praesentem populo exhiberet; tunc ex tantis beneficiis acceptis maxime populi ingratiudine in suis delictis se se declararet, diuinamque iram vindicem contra se sollicitaret. Lyranus. Non est, inquit, per hoc intelligendum, quod Angelus de quo dixerat, quod esset eis ductor, esset misericordior ipso Deo: sed quod, si adesset Dei praesentia modo praedicta (hoc est peculiaribus beneficiis exhibitis) ex hoc rebellio populi esset grauior, & per consequens grauius punienda.

Benedicens Iacob filiis suis ait ad Ruben: Ruben primogenitus meus, tu fortitudo mea, prior in donis, maior in imperio. Genes. 49. num. 3. Et postea subdit sanctus Patriarcha. Ascendisti cubile patris tui, & maculasti statum eius, ibidem num. 4. Si pius pater disponebat, scdum peccatum, contra ipsum commissum, filio obliuere. Ad quid commemorat beneficia in ipsum collata, quod esset primogenitus, fortitudinis suae virtus, prior in donis, maior in imperio. Quorsum haec tanta in filij memoriam reuocat, ac ante eius oculos proponit? Vt ex tot donis datis maxime peccati turpitudine, ac filij ingratiudine accresceret, ac execrabilior appareret. Origenes. Quod, ait, in initiis, laudis et aliquid videatur ascribere, dicens, Tu virtus mea; idcirco fit, vt grauis notetur in crimine, qui, cum virtus patris haberetur, & inuicem filiorum, nesciunt seruare reuerentiam patri.



CAPVT XIII.

Decem Leprosi curantur.

Luc. 17. n. 11. Et factum est, dum iret Iesus in Ierusalem, transibat per mediam Samariam, & Galilaeam.

Num. 12. Et cum ingrederetur quoddam castellum, occurrerunt ei decem viri Leprosi, qui steterunt à longe.

VERSIONES.

Vatablus. Et euenit, dum iret in Ierusalem.

Syriacus. Et factum est, cum proficisceretur Ieschua ad Oulueira in Euang. Tom. IV.

rishlem, vt transierit per Schamaritanos in Galilaeam.

Syriacus n. 1. Cumque propè ingrederetur vicum quendam. Euth. Theoph. Steterunt procul.

EXPOSITIO I.



factum est. Cum Christus de finibus Caesariae Philippi, aut Panaeadis, vt patet ex Math. 17. n. 21. Dum iret in Ierusalem, ad festum nempe Tabernaculorum Ioan. 7. n. 2. Hic autem fuit vltimus Domini descensus in Ierusalem, ad mortem nimirum, & passionem suam. De hoc ergo itinere D. Lucas hic agit, in quo Dominus sanauit decem Leprosos, vt communiter docent Caietanus, Iansenius, Barradas, Lucas Burgensis, Cornelius à lapide in sua Chronotax. Transibat, vt mundaret scilicet Leprosos, docens nos, quod etiam in itinere nunquam ab opere virtutis cessandum, sed semper illi incumbendum, cum occasio se se obtulerit. Transibat, haec enim erat trita, & communis via, à qua Dominus non discedit. Transibat per mediam Samariam, vbi erant idololatriae, & Gentiles; erudiens nos, inter malos non diu immorandum, Samariae meminit Euangelista, vt ostendat, qua occasione inter Leprosos à Christo sanatos, vt sequitur, vnus fuit Samaritanus. Per mediam Samariam, & Galilaeam; Israelitarum regio, vt iam multis in locis dixi, in tres prouincias diuidebatur. In Galilaeam septentrionalem, Iudaeam australem, & Samariam, quae inter vtramque media est. Et cum Galilaea prior esset transeunda à proficiscete recta via à Caesaria in Ierusalem; Samaria tamen praepositur, & prior nominatur ab Euangelista. Cuius ratio ea mihi videtur: Vnus ex his Leprosi Samaritanus probus, ac rectus, & gratus exiit: ob probitatem vnus cuius tota ciuitas, patria, ac regio sic nobilitatur, vt ceteris omnibus antepositur.

1.

Math. 17.

Ioan. 7.

Caietan. Iansenius. Barradas. Burgensis. Cornelius.

Inter malos non diu immorandum.

Bonus eius honor patri.

2.

Syriacus. Cyrillus. Theophyl.

Numer. 5.

Theophyl. Carthul. Peccator se reputet indignum, qui ad Christum accedit.

Hugo.

Cum ingrederetur quoddam castellum, seu, vt clarius habet Syriacus, Cum propè ingrederetur vicum quendam extra locum, vt notant D. Cyrillus in Catena Graeca, Theophylactus, & alij, Occurrerunt decem Leprosi, hi enim non poterant ingredi vrbes, castella, & oppida, ne eorum habitatoribus suam Lepram, immunditiamque legalem (quae in veteri Legge participabatur ex Leprosi contactu) communicarent, vt liquet Numer. 5. num. 2. Decem Leprosi, hi enim ex aliorum relatu Christi virtutem agnoscebant. Steterunt à longe, agnoscentes morbum, & immunditiam suam, de ipsaque erubescerent, vt inquit Theophylactus, Carthusianus, propter Christi reuerentiam ad eum non audebant accedere, suspicantes, quod Christo, sicut & aliis essent abominabiles, vt ait citatus Theophylactus. Sed falluntur, quia Christus miserorum pater oppressos, & afflictos non despicit: nec fastidit. Steterunt à longe. In hoc, ait Hugo, significatur humilitas penitentis, qui se reputat indignum accedere ad Iesum; sicut publicanus ille stans à longe non audebat oculos suos leuare ad caelum Luc. 18.

Luc. 18.

QUESTIO I.

Quare tendens Christus in Ierusalem transit per mediam Samariam, & Galilaam?

RATIONEM litteralem iam dedi in expositione. Erat enim haec via communis, & recta in Ierusalem. Et transibat per medium, ut omnibus aequaliter suam diuinam virtutem diffunderet. Rationes morales quero.

Primò Titus Bostrensis. Erat discordia, inquit, inter Samaritanos, & Indeos, quam ipse quasi componens per utrosque transit, ut utrosque in unum nouum hominem compingat. Samaritani, ac Galilaei magno odio, ac inimicitia inter se dissidebant; per eos transit Pacis auctor Iesus, ut utrumque populum in se charitate, ac fide coadunaret, ac pacificaret, eosque maximè vnitos, ac concordēs redderet.

Secundò Eusebius Gallicanus homil. in Do. 14. post Pentecosten. Quid per Galilaam, ait, nisi Iudeos; & quid per Samariam, nisi Gentiles intelligamus? Inde est, quod dicitur, non contuntur Iudei Samaritanis. Per medium autem illorum transibat Iesus, quia hos & illos vocabat, ad hos & illos predicabat; hos & illos sanabat & ad fidem conuertebat. Inter Iudeos, & Gentiles benefaciendo transit Iesus, quia pro omnibus de caelo descendit, ut per se ipsum Aeterno Patri omnes homines reconciliaret, sine personarum respectu; ipse enim, cum sit omnium saluator, omnium salutem vult: apud eum enim, Non est Iudeus, neque Graecus; non est seruus, neque liber: non est masculus, neque femina. Ad Galat. 3. num. 2. 8.

Tertid. D. Antonius Vlyssipponensis serm. 14. post Trinit. ait, Quòd Ierusalem interpretatur Visio pacis; Samaria verò custodia; Galilaea verò transmigration facta. Ideo per mediam Samariam, & Galilaam transit Iesus, dum vadit in Ierusalem; quia quilibet volens peruenire ad caelestem patriam, oportet, ut transmigret mundo, custodiam cordis, & sensum habeat. Prouerb. 4. num. 23. Omni custodia serua cor tuum.

Quartò. Cardinalis Hugo inquit, quòd Galilaea interpretatur rota. Triplex autem est rota. Prima rota est sollicitudo mundana, qua rotantur auari de prosperis in aduersa, de summis ad imma, de laetis in tristitia, vel è contrario relabentes. Ecclesiast. 33. num. 5. Praecordia fatui quasi rota currus; & quasi axis versatilis cogitatus illius. Secunda rota est caro nostra, qua ad modum rotæ circulariter fertur, nam ad terram reuertitur, vnde progreditur. Ecclesiast. 12. num. 7. Confringatur rota super cisternam, & reuertatur puluis in terram suam, vnde erat; & spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum. Tertia rota est dignitatum ambitio, qua quando magis eleuatur à posteriori, tanto amplius demergitur in parte anteriori. De quibus dicitur in Psalm. 72. num. 18. Deiciet eos, dum alienauerunt. Et Psalm. 82. num. 14. Deus meus pone illos, ut rotam. Bene ergo dicitur Iesus, transire per Samariam & Galilaam vadens in Ierusalem: ut ad eius exemplum, qui ad aeternae pacis visionem venire desiderat, custodiens animam suam, petranseat mundanam sollicitudinem, seque à carnis appetitu abstineat, neque se immisceat am-

bitioni honorum, ac dignitatum, & sic perueniet ad desideratam patriam.

Quintò. Samaritani Dominum Iesum euntem in Ierusalem noluerunt hospitio recipere, sed à quodam vico suo eum excluderunt. Luc. 9. num. 53. Galilaei eiecerunt Dominum extra suam ciuitatem, & eum intendant de supercilio montis praecipitare. Luc. 4. num. 29. Samaritanos, & Galilaeos curare voluit. Ut pro maleficio rependeret beneficium. Haymon in Epist. 1. ad Corinth. cap. 13. Charitas, inquit, etiamsi lesa fuerit, non prouocatur ad iracundiam, seu furorem, non cogitur ad vindictam, ut malum pro malo reddat, sed bonum pro malo.

Cum Dominus appropinquaret Iericho, caecus sedens secus viam clamabat: Iesu fili David miserere mei. Luc. 18. num. 38. Caecus à Christo sanitatis donum exoptabat. Ad quid ergo eum David filium vocat, cum David maximè aliquando persecutus fuisset à caecis, qui ei prohibebant, ac intercludebant aditum arcis Sion; vnde dicitur, quòd abstulisset caecos, & claudos odientes animam David 2. Reg. 5. num. 8. Quorsum ergo caecus Christum dicit filium David, qui maximè ab ipsis caecis aliquando persecutus fuerat? David non solum de inimicis suis non vlcecebatur, sed etiam illis vitæ donum concederat, ut factum est cura Semei 2. Regum 16. num. 10. & cap. 19. num. 16. In hoc ergo Christus ex David se natum ostenderet, si caecis olim suo parenti offensis, non solum malum non inferret, sed etiam exoptatum praeberet oculorum lumen. Hinc caecus, visum sibi sollicitans, Christum filium David clamat: Miserere mei fili David. e. Tertullianus lib. 4. contra Marcion. cap. 36. referens, qua dicebat prauus Marcion contra Christum, ut eum filium David negaret. Nam si aliquando Dauidem in recuperatione Sionis offenderant caeci resistentes, quominus admitteretur: ideo Christus, ex diuerso, caeco subuenit, ut hinc se ostenderet, non esse filium David, & ex animi diuersitate bonus caecis, quos ille iusserat caedi? Cui rectè occurrit Tertullianus. At quin & hoc filius David. Nam & qui David offenderant caeci: nunc verò eiusdem indecoris homo supplicem se obulerat filio David, idcirco ei satisfaciendi quodammodo placatus filius David, restituit lumina.

Pacem ab Isaaco petebat Abimelech, & in eundem pacis foedera apponit. Ut non facias nobis quidquam mali. Rationem subdit, Sicut & nos nihil tuorum attigimus, nec fecimus, quod te laderet. Genes. 26. num. 29. Mentitur sane Princeps; nam clientes eius, scilicet Gerara conciuēs, multa mala, multaque iniurias Isaaco intulerunt; pureos enim, quos parens eius Abraham foderat, implentes humo obstruxerunt, ibidem num. 15. torrentemque aquarum, quam foderunt pastores Isaac, vi abstulerunt Palestini, ibidem num. 20. Quomodo audiens Patriarcha, quòd nullum malum ab eis illi sit illatum, Sicut & nos nihil tuorum attigimus, quiescit, nil obiicit; sed pacem cum eis firmat; magnūque illis praebet conuiuium ibidem numer. 30. Sanctus Isaacus plenus diuino spiritu minimè de iniuriis, ac malis, sibi subministratis recordatur, concedit multa dona, pacem iniens, magnum conuiuium exhibens, multaque cibaria proferens. D. Chrysostomus. Vide, ait, insti benignitatem, quomodo cura eis absque vindicandi cupiditate loquitur: & non solum obliuiscitur eorum, qua

8.

Luc. 9.

Luc. 4.

Pro malo respondendum beneficium.

Haymon.

9.

Luc. 18.

2. Reg. 5.

Pro malis dona ac beneficia sunt reddenda.

Tertullian.

10.

Genes. 26.

Institue pro malu das bona.

Chrysost.

qua in se facta, sed magna hospitalitate eos excipit: fecit eis conuiuium, & comederunt, & biberunt. Conuiuio satis certa dat argumenta, se non fore memorem eorum, quæ in se commiserant. Vide to. 2. cap. 14. quaest. 9. to. 11. ac 12.

QUESTIO II.

Quare Leprosi denario numero existunt? & quid sit Lepra?

QVOD lepra sit morbus incurabilis, & contagiosus, inde liquet, quòd Leprosi, & Lege veteri Leuit. 13. n. 44. & vsu omnium Gentium ab hominum consortio arceantur. In Leprosi enim est contagium, imò & contagij quoddam seminarium, quo sanos tactu, vlcerum fetore, & respiratione putrida inficere possunt. His proinde à morbi labe deturpatur facies, pili decidunt, dilatantur nares, exeduntur ossa, lingua tumet, fetet respiratio, corpusque horrido, & vario colore respersitur; omne denique morbi genus, omnèque symptoma in Leproso reperitur. Meritoque lepra, ut ait Simon Cassianus lib. 5. cap. 31. cum sua varietate omne vitium, omnèque turpitudinem designat. Multo enim maiora mala peccatum corpori infert: proindeque delinquenti vitaperium est in hac vita (nam lepra antiquitus magnum erat dedecus) & tormentum superabundantius in alia vita erit. Infirmas ipsa horror patienti, & aspicientibus est; & non solum visum, sed etiam olfactum ex fetore offendit, & tactus illam abhorret, gustusque tumore linguæ hebetatur; lepraque sicut & iniquitas omni sensui horror est, ac nocuerunt.

D. Augustinus lib. 3. quaest. Euangel. quaest. 40. D. Gregorius in fine cap. 3. Iob; Rupertus Leuit. 13. Beda, Hugo, & alij in praesenti opinantur, per lepram haereticum significari; nam lepra contagione sepsit; sic haereticus latè vagans populum miserandum contaminat: lepra varium colorem per totum copus diffundit; sic haeretici varios errores miscunt in eadem praedicatione, Lepra eiciebat leprosum extra castra; sic & haereticus eiecit haeticum extra Ecclesiam.

Praecipua pars quaestionis: Cur decem Leprosi? Respondeo primò cum Cassiano, Hugone citatis, quòd decem viri leprosi vniuersitatem delictorum, ac peccatorum pronunciant: nam numerus denarius Catalogum dicit, cuius morbus, ac lepra omnem transgressionem importat, ut in nullo pracepto desit praenunciatio. Quòd autem essent viri, & non foeminae; ex sexu fortiori morbi grauitas maximè obfirmata, & validata innuit, ut ex ipsa magnitudine mali maximè pensetur diuini beneficij magnitudo.

Secundò. Olim ab Elisæo vnus Naaman sanatur. Descendit, lauitque in Iordane septies iuxta sermonem viri Dei, scilicet Elisæi, & restituta est caro eius, sicut caro pueri paruuli, & mundatus est. 4. Regum 5. num. 14. Ex quo opinabatur haereticus Marcion, curationem horum decem leprosurum ad diuersum Deum spectare, ab illo, qui Naaman curauit; quasi quòd ille Deus, qui vnum curauit per Elisæum, non valuisset decem per Iesum sanitati restituere. Tunc rectè contra ipsum argumentatur Tertullianus lib. 4. contra Marcion. Quis enim dubitauit, inquit, plures potuisse curari Sylueira in Euang. Tom. IV.

ab eo, qui vnum curasset, quam ab illo decem, qui nunquam retro vnus? Imò, ò haeretice, ex eo quòd illic vnus sanatus est, hic & decem sanatio ad eundem Deum pertinere comprobatur. Nam in minima vnus curatione se se effectorem magnæ alterius manifestauit Deus; qui valde difficile crederetur magna sanitaris auctor, si nunquam in aliqua parua fuisse ostenderetur. Tunc quis rectè persuaderet in magnis versari, si se valde probum in minimis declarauit.

Tertid. Considera, quanta sit differentia inter ministrum, & Dominum. Salus ministrata per Elisæum ad vnus Naaman extenditur; per Iesum verò sapremum Dominum stagnatur in decem; imò & in omnes, denarius enim numerus vniuersitatem quandam significat.

Quartò. Titus Bostrensis. Conuersabatur autem, ait, adiuuicem Leprosi, quia fecerat eos vnanimis communicatio passionis. Euthymius ait: Morbi communicatio tunc eos adiuuauerat. Afflictio, ac persecutio in eadem vexatione detentos maximè socios, ac vnitos reddit. Sic & de Davide, cum persequeretur à Saule, dicitur: Conuenerunt ad eum omnes, qui erant in angustia constituti, & oppressi are alieno, & amaro animo. 1. Regum 22. num. 2. seu, ut explicat Lyranus: omnes, qui erant in persecutione. Ipsa persecutio; qua à Saule inferebatur, omnes eam sustinentes, inter se aduocauit, ac vniuit, ut maximè essent associati cum Davide, qui vehementer à Rege infectabatur.

Vrgente iam Diluuij tempore, cum Noè ingrederetur Arcam, De animantibus mundis, & immundis, & de volucribus, & ex omni, quod mouetur super terram, duo, & duo ingressu sunt ad Noè in arcam. Genes. 7. num. 8. Intran in arcam leones, & tigrides, ac vrsi; tauri, & leopardi; lupi, & oues. Communis quaestio: Quomodo hac animantia, qua valde duro bello inter se decertant, valde amicabiliter in arca degunt? De quo multum miratur D. Chrysostomus homil. 25. qui ad aliam thesim spectat; tamen ad rem praesentem praclare D. Bruno de laudibus Ecclesiae. Quos natura, ait, dissidentes procreauerat, totius Orbis calamitas eodem in pabulo pacificauit. Fera illa indomita inuito odio maximè inter se aduersantur, voracique pugna rigide inter se decertant; tamen illa vniuersalis pressura Orbis, qua tanquam in ergastulo reclusa continebantur, illas sic associauit, ut commutato odio in amorem, valde amicabiliter simul degerent, ac eodem pabulo pascerentur.

Fame vexati, quaerentes alimoniam, veniunt filij Iacob in Aegyptum. Quos cum recognouisset frater suus Ioseph, multis cibariis, ac donis datis, remittit ad patrem. Et proficiscentibus ait, ne irascamini in via. Genes. 45. num. 24. Haec recommendatio inutilis videtur: nam ipsi fratres multo amore coadunati in Aegyptum veniunt. Cur ergo in regressu dissidium in eis timetur? Cum descendunt in Aegyptum, fame opprimebantur; cum vero redeunt, saturitate exuberabant; & merito timebatur, ut eos, quos fames vniuerat, saturitas discordaret. D. Ambrosius lib. 6. Ioseph cap. 13. agens de iracundia ex donis datis inquit: Quod & etiam possent amantes sui separare germos.

Ex bona operatione in minimis, recte verificatur & in magnis.

15. Manus ministri exigua, Domini larga

16. Titus Bostrensis. Communicatio morbi, ac pressura facit homines vnitos.

1. Reg. 22. Lyranus.

17. Genes. 7.

Chrysost.

Bruno.

Oppressi, etiã natura repugnante, vniantur.

18.

Genes. 45.

Ambros.